



BERNARDUS

eo nomine III ac XX,

EPISCOPUS PADERBORN.

Annus Christi 1203.

Innocentij III Pont. 6.

Ottonis IV & Philippi Regum 6.

Bernardi III Ep. Pad. 1 inchoatus.

*Gobelin.
atat. 6. c. 63.
Bruschini
in cat. Epi-
scop.
Crant?
Kerfenbro-
chius.*



*Bernar-
dus III ex
nobili
Osedo-
rum fa-
milia xx
Episc. Pa-
derb.*

Annus Christi Mcciii, qui nobis Bernardum II Episcopum sustulit, idem mox nobis Successorem dedit Bernardum III, ex eadem illustrium Osedorum Dynastarum familia, ex qua Bernardum I jam antè Paderbornensis Ecclesia sortita erat. Hanc verò Osedorum familiam, quia Bernardus II sibi consanguineam scribit in tabulis Gerdensis Cœnobij, satis jam constat, tres consanguineos Episcopos ejusdem nominis intra unum sæculum Paderbornensi Ecclesiæ obtigisse; qui præclara omnes cum laude bonoque Episcopatum administravere. Habuit & Bernardus III sororem, Abbatissam Monasterij Bodecensis, quod tum celebre nobilium Virginum Collegium erat: nec aliæ tum præerant, quàm ex primaria nobilitate delectæ, qualis hæc Osedorum erat. Sed grata non minus apud Canonicos manebat memoria Bernardi primi, præstantissimi, & præclare de Paderbornensi Ecclesia meriti Episcopi. Quo factum, ut cum egregiæ quoque Episcopi dotes virtutesque conspicerentur in Bernardo III, hunc illi ex Collegio suo concordium omnium suffragatione delegerint Episcopum. Is deinde à Sigefrido Moguntino Archiepiscopo ac Metropolitano suo consecratus Episcopus; jura verò regalia ab Ottone Rege donata accepit, cui & fidem juravit. Utrumque constabit ex epistola Innocentij ad annum 1205 recitanda, qua Bernardo levitatem exprobrat, quòd his beneficijs ab utroque affectus, postea cum Adolpho Coloniensi & Joanne Trevirensi Archiepiscopis desciverit ad partes Philippi Regis.

Non eà concordia successit electio Monasteriensis Episcopi.
Quippe